



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 5. De bonis traditis in Willibechi in pago Logne.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
822 usque  
826 im-  
perante  
Hludo-  
uico et

## §. 5.

Uiric tradidit quicquid habuit de terra in uilla *uwillibecki* (k) cum hominibus istis hund uitta hufi crea bruni horobolla aaluuini uuigif uulme unde isti sunt testes *emo comeſ* (1) fresger uuorid tidi hufuard humbret hrothard horid uuicbrand maꝛcuuard.

## §. 6.

Thancold tradidit difogangum suum in pago *habogo* (m) testes oio uualdulf.

## §. 7.

De villa  
Willibe-  
chi.

(k) Villa *Willibecki* quonam in pago sita fuerit, non definiunt traditiones. Si uero aliquid dicendum erit, occurrit 1) *Wibbeke* in dynastia Adelipfen in principatu Göttingensi. 2) *Volbeck* in praefectura Brunstein eodem in principatu. 3) *Walbeck* in principatu Halberstadiensi. 4) *Willebeke* in comitatu Bionis comitis Merſſen-burgensis, tempore imperatoris Ottonis III, testante *Chronico Montis Sereni* p. 201. 5) *Willerbeke* in montibus Harzicis. 6) Villa *Welbeke* Geronis marchionis, quam ipse anno 963 monasterio Gerenrode donauit, testante diplomate in *Becmanni Historia Anhaltina* P. III. f. 168. 7) *Wanbeck* in principatu Göttingensi in praefectura Nienouer et 8) *Wabeche* fluuius, qui anno 1031 Mindensem et Hilleshemensem episcopatum discernebat, testante Diplomate Conradi II caesaris in I. C. Lunigii *Rei hi - Archiv Spicil. Eccles. P. II. im Anhang* f. 108. Iam quaeritur, an ex hisce, quae magnam cum nostra uilla *Willibecki* similitudinem habent, una sit, de qua loquuntur traditiones? Sed respondemus, primum *Willebeke*, *Wabeche* et *Willerbeke* fluuios esse. Ergo hi ipsi non possunt intelligi, quia *Willibecki* uilla nominatur. Deinde quid causae sit, cur uillas *Wibbeke*, *Volbeck*, *Walbeck* et *Welbeke* admittamus, non uidemus. Sola ergo uilla *Wanbeck* reliqua est, quam hic eam ob causam intelligi arbitramur, quia in *Registro Bonorum Abbatiae Corbeiensis* uilla *Willibecki* in pago *Logne* reperitur, quam unam eandemque cum hac nostra fuisse putamus. Si ergo *Wanbeck* uillae *Bodensfelde*, quae infra §. 33. etiam in pago *Logne* adducitur, est proxima, iter trium horarum a nostra Corbeia distans, nihil erit reliquum, quo impediamur, quo minus per *Willibecki* uillam uicium *Wanbeck* intelligamus. Accedit, quod hisce temporibus, quemadmodum diplomata nostra Corbeiensia testantur, *Wibricus* quidam in hisce regionibus comitatum suum, et in uilla *Ouenbus* in pago *Auga* domicilium suum habuerit; et quod uicium *Wanbeck* olim feudum nobilium de Winthufen fuerit, qui in uilla desolata *Winetabus* in pago *Logne*, in saltu Sollingano, in loco uulgo dicto *das Wintfeld* sedem suam habuere. *Wintfeld* uero ad praefecturam Nienouer in principatu Göttingensi usque in hodiernum diem refertur.

DeEnno-  
ne Comi-  
te.

(1) *Ennonem* hunc comitem sine attentione, quaesumus, ne dimittas: infra enim uidebimus, illum inter progenitores illustrissimae familiae *Billinganae* esse referendum. An ipse in pago *Logne*, seu pago *Suilbergi* hoc tempore comitatum suum habuerit, non liquet.

De Pago  
Habogo.

(m) *Pagum Habogo* in nullo diplomate hactenus deprehendimus. Vellemus per eum intelligere castrum *Hoinboken*, haud procul a uilla *Brunkenſen* in ducatu *Brunſuicensi* situm, nisi pagum *Aringbo* in ista regione collocare necessum foret. Distributio Saxoniae nostrae per pagos antiquior est aetate Caroli M, alioqui dicere uellemus, castellum *Hobbuchi*, *Albi* flumini contiguum, hic posse intelligi. De illo *Annales Eginhardi* ad annum 808. f. 162. ita: *Imperator adificari per legatos suos super Albim fluium duobus castellis, praesidioque in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquigrani hyemauit, natalemque domini et pascha celebrauit.* Ex hisce uero duobus castellis unum esse *Hobbuchi*, putat B. G. Struuius, praceptor quondam noster etiam post mortem uenerandus, Tom. I. *Script. Rerum German. Marg. Frebevi* fol. 19. not. \*\*. cui assentitur Reuer. Casp. Abelius in *Antiquit. Saxon.* p. 134. De illo autem castro idem *Eginhardus* in *Annal.* cit. ad a. 810. f. 163. asseruerat, *castellum nomine Hobbuchi Albi flumini contiguum, in quo Odo legatus imperatoris, et orientaliu Saxonum fuerit praesidium, a Wilſis esse captum.* Idem uero castellum ab imperatore Carolo anno 811. restauratum esse,

Egin-